XXI.
BONGA.
1643

ORATIO FVNEBRIS
ANTONII BONONII PONTREMVLENSIS I.C.

ab eo Pontremuli habita.

Dum in Templo Diui FRANCISCI

REGINÆ MARGARITÆ AVSTRIACAE PHILIPPI III. VXORI

Iusta Funebria ſollemni ritu à Populo Pontremulenſi perſoluerentur.

Ill.mo D.D. Don VINCENTIO GONZAGÆ

FERDINANDI GVASTALLÆ Ducis, & Melfićti Principis Filio.

D I C A T A.



MANTVAE, Ex Officina Typographica Fratrum de Oſanna, Ducalium Impreſſorum. Anno 1623. *Superiorum permiſſu.*

ILLVSTRISSIMO DOMINO
D. VINCENTIO GONZAGÆ
EXCELLENTISSIMI
DON FERDINANDI
FILIO.

ANTONIVS BONONIVS I. C. felicitatem P.

H*ANC meam Orationem funebrem, ad cuius editionem pleriq; omnes, quibus eam uidere contigit, me hortati sunt, nunc tandem lucem adspicere permitto; quam Augustissimæ, & nunquam satis laudatæ MARGARITÆ AVSTRIACÆ Hispaniarum Reginæ laudes aliqua ex parte complectentem, Tibi, qui, cùm ab ea Familia oriundus sis quæ summa sem-*

per fuit in Auſtriacos obſeruantia, & deuotione, quantus quantus es, totus Auſtriacus es, dare, dicare, & conſecrare volui, illiusq; frontem fulgentiſſimo tui nominis ſplendore illuſtrare. Te igitur, benignisſime Princeps, quæ tua eſt humanitas, & magnitudo tuæ erga Auſtriacos obſeruantiæ, rogo, vt illam leui denſe quidem munuſculum, ſed tamen ſummæ pietatis in te meæ omni ex parte ſincerum, perpetuumq; monumentum hilari fronte accipias, atq; non muneris exiguitatem, ſed meæ propenſę erga te voluntatis magnitudinem reſpicias. Ego vero, qui me Tibi lege illa priſca deuotionis ſacraui, vicisſim ſemper Deum precabor, vt Te Tibi tuis, atq; tuo optimo ſapientisſimoq; Parenti, qui in tanta Chriſtianorum Principum luce ſic eminet.

Vt pura nocturno renidet,
Luna Mari.

Diutisſime incolumem conſeruet, Tibiq; felicisſimam in Hiſpaniam profectionem, & domum reditionem concedat. Vale, & ſalue vnicum decus, & præſidium meum.

VIRTVTE ET LABORE

ORATIO.

O FALLACES hominum ſpes, fragilemq; fortunam! O miſeram humani generis condicionem! O verè dubios, ancipitesq; rerum mortalium euentus! O humanas opes facillimè ſuâ ſponte labentes! O atrocem, & gentibus vniuerſis, nedum Populo Pontremulenſi in omni ætate deplorandam, & vix æquo animo ferendam calamitatem! Mortua eſt enim, Viri Pontremulenſes, vel erepta potius Chriſtiano orbi Regina MARGARITA AVSTRIACA, potentiſſimi PHILIPPI Tertij Vxor, gentis AVSTRIACÆ, immo totius terrarum orbis decus, nobilitatis ornamentum, pauperum ſubſidium, pupillorum tutela, viduarum præſidium, miſerorum, & in hoc vaſto ærumnarum mari laborantium portus, noſtræ tranquillitatis parens, omnium bonorum perfugium, omnium virtutum, & maximè honeſtatis, modeſtiæ, & pietatis columen; erepta eſt, inquã, Regina noſtra optima, & maxima, qualem, quantamq; neſcio, an vnquam ſuperiora ſecula habuerint, an futura

postea sint habitura, cuius vita omnibus exornata virtutibus Christianæ Reipublicæ ornamento, rebus multorum priuatis vsui, & publicis subsidio erat. O crudelissimam igitur mortis tyrannidem! o immanissimum imperium! o iustè funebres istos apparatus! o diem nobis omnibus funestissimum! o durum nimis, & acerbum casum, quo res & publicæ, & priuatæ Christianorum, omnes virtutes, omnes boni, miseri, viduæ, pupilli, pauperes, nobiles, orbis terrarum, & gens Austriaca tantum damni fecerũt, vt nullum par, aut simile, nedum maius inueniri possit. Quid igitur ego miser in tantis miserijs, & sordibus, in tanto squalore, & luctu faciam? Quo me vertam? Vnde initium meæ orationis, qua & huius augustissimæ Reginæ laudes aliqua ex parte complecti, & vos si minus ab omni molestia, sollicitudineq; abducere, certè aliquam acerbissimo dolori vestro consolationem adhibere possim, capiam? Equidem, vt id, quod res est, fatear, cùm squaleant Ciuitates vniuersæ, mœreat omnis ætas, atq; sexus, huius augustissimi Templi parietes in luctu, & squalore quodamodo versentur, tanto dolore afficior, vt ego met consolatione indigeam; & licèt vita Reginæ religiosissimè acta infinitam pœnè materiam orationi meæ suppeditet, ipsa tamen oratio in tanto omnium luctu, & squalore adspectum hominum, lucemq; formidare videatur. Quid igitur consilij in tantis angustijs, & difficultatibus, tanto dolore pressus, atq; adeo oppressus capiam? tacebo ne penitus? non committam, vt mei ciues, & ij præsertim, quibus præcipua huius Vniuersitatis cura incumbit, meam hac in re operam desiderent, cùm præsertim eorum iussu in hunc honestissimum locum ascenderim, vt de huius laudatissimæ Reginæ laudibus verba faciam. Quare, vt id facilius præstare possim, pro virili conabor,

ipsum dolorem in intimo mei pectoris recessu conclusum tenere, &, ne foras erumpat, mihiq; vocem intercludat, coërcere. Verum, interea dum ad id me accingo, hinc facessere iubeo ea Rhetorum præcepta, & veteres illas satis superq; in scholis decantatas laudationum leges, quæ volunt exornari patriam, commendari genus & familiam, augeri oratione opes, amplificari diuitias, commemorari præstantiam, dignitatemq; formæ, illustrari celeritatem ingenij, memoriæ vim, mentis diuinitatem, aliaq; id genus, quæ vel à natura, vel à fortuna, vt cum vulgo loquar, donata esse dicuntur: quæ omnia in hac ipsa Regina maxima fuisse, nemo compos mentis inficiari audebit, &, vt cętera missa faciam, quis augustissimam eius familiam, & stirpem, ex qua tanquam ex equo Troiano tot excelsi Principes, tot summi Duces, tot potentissimi Reges, tot inuictissimi Imperatores prodierunt, non admiretur, & suspiciat? Quis tot egregia eiusdem Familię facinora, tot facta memorabilia, tot res cum domi, tum militiæ gestas, tot prælia, tot palmas, tot triumphos, tot regna, tot imperia, quæ quidem omni laude longè maiora esse, nemo ibit inficias, sua oratione persequatur? Cuius vel acutissima acies tam illustrem splendorem intuens non statim hebescat? His igitur in præsentia omissis, mihi faciendum puto, vt ad alia, quibus tanquam gemmis, & margaritis fulgentibus Regina Margarita effulgebat, hanc meam orationem conuertam; ita tamen, vt per latissimos eius laudum campos ego ipse excurrens, eos tantum flosculos colligam, ex quibus sertum conficere possim, quò mihi honorarium hunc tumulum cohonestare liceat. Quod dum facio, Viri Pontremulenses, à vobis quæso, vt luctum, & lacrymas reprimatis, gemitus cohibeatis, animis adsitis, & me Reginæ vestræ laudes

leuiter

leuiter attingentem benignè, & attentè audiatis. Cum eximias Reginæ Margaritæ dotes mecum ipse confidero, Viri Pontremulenses, dos illa, quæ gentis Austriacæ propria videtur, hoc est, Religio, cuius ope ad tantas opes, & summum rerum fastigium ipsa gens Austriaca adscendit, se se mihi prima omnium offert. Nam vix hæc maxima, & verè Austriaca Regina ineuntis ætatis crepundia deposuerat, cum sanctissimis Christianæ doctrinæ pręceptis non leuiter tincta, sed cumulatè imbuta, se totam ad Deum summa & pietate, & religione colendũ transtulit, illud vnum spectans, vt quàm gratissima Deo ipsi existeret. Hæc toto pectore omni vitæ suæ tempore in eam rem incubuit, vt Austriaca, hoc est verè Catholica, & non modò nomine, verum etiam vita Christiana esset. Hæc tota in eo fuit: omnis eius in eo insudauit industria, vt quemadmodum naturæ, & fortunæ muneribus alijs erat multo præstantior, ita veris, & solidis ornamentis cęteris omnibus longè antecelleret. Ceteræ huius ordinis mulieres compta calamistrataq; coma, madentibus cincinnorum fimbrijs, fuco & pigmentis oblitæ, vnguentis delibutæ, auro, argento, gemmis, margaritisq; preciosissimis onustæ magis, quàm ornatæ in publicum prodeunt, & tanquàm vnguentariæ tabernæ, quocunq; se conferunt, eodem ferunt omnium odorum suauitatem, de exteriori ornatu, & odore tantummodo laborantes. At Regina Margarita, cùm interiorem ornatum plurimi faceret, magisq; fragrantissimo virtutũ odore delectaretur, omnes & ornatus, & odores à se reiecit, nullos calamistros, nullos cincinnos adhibuit, fucati verò medicamenta candoris & ruboris à suo corpore remouit omnia, naturali colore, & simplicis cultus munditie contenta: quin etiam quidquid temporis aliæ in ornan-
do,

do, vel, vt verius loquar, onerando se ipsas, in ludis, iocis, tripudijs, alijsq; id genus conterere solent, id omne in orationibus, cœnobiorum, templorum, sacrarumq; Virginum visitationibus vtiliter consumere consueuit; & quemadmodum illæ in ea cura versantur, vt lautioribus epulis, quibus mensæ Principum affluunt, sæpè & diffluunt, corpus curent, cutemq; nitidissimam efficiant; ita hæc ipsa suum eo conferebat ingenium, vt genium fraudaret, corpusq; inedia castigans, hostem omniũ teterrimum victus tenuitate percelleret. Neq; verò hoc tantum satis habebat, ornamenta corpori detrahere, ipsumq; in medijs opibus inopia cibi extenuare, verum etiam illud potissimum agebat, vt animum alijs, atq; alijs virtutibus, & ornamentis exaggeraret. Quapropter nõ solum diebus festis, quemadmodum pleriq; Christianorum, vt Ecclesiæ præcepto satisfaciant, hac ætate faciunt, verum etiam profestis Sacerdotem rem diuinam facientem tàm attentè, tàmq; reuerenter genibus subsidens audiebat, vt omnes in eam sua & ora, & lumina conuerterent, ipsamq; illustre christianæ religionis lumen esse prædicarent. Cęteri homines secum præclarè actum existimant, cum vni sacro interfuerunt: at Regina Margarita, cùm ipsi nihil esset antiquius, quàm vt cœlestibus donis animum locupletaret suum, sibiq; cęlestem illam margaritam compararet, duobus quotidie sacris intererat, alteri, quod dicebatur ad opem viuentibus ferendam, alteri verò, quod celebrabatur ad animas, quæ igne purgante cruciantur, subleuandas. O Reginam igitur cœlestibus, & æternis regnis magis, quàm his terrestribus & fluxis dignam! O Margaritam omnibus margaritis, omnibus gemmis, omnibus thesauris, omnibus regnis, omnibus imperijs preciosiorem, atq; ita in illo ærario (dicerem) si latinæ aures ferre

 possent,

possent, gemmario cœlesti collocandam. Neq; tamen his quasi terminis, & limitibus circumscripta tenebatur Margaritæ religio. Nam non tantùm statutis Ecclesiæ temporibus, verum etiam octauo quoq; die, atq; etiam aliâs, si dies sanctissimæ Virgini sacri intercurrissent, piaculari confessione apud Sacerdotem se ipsa expiabat, sanctissimumq; illum, & verè cœlestem panem, se omnino eo indignam profitens, & lacrymas effundens, tanta animi pietate, tanta diuini numinis reuerentia, tanta summissione, & humilitate accipiebat, vt omnes ex ea summæ & religionis & pietatis exempla caperent. A teneris assuescere multum est, vt inquit Poëta, permagniq; refert, quos habeas institutores. Margarita quidem ab ineunte ætate religionem, & pietatem imbibit christianam: religiossimorum parentum iussu ab ijs institutoribus instituta est, in quibus nihil nisi honestum, nihil nisi laudabile, nihil nisi excelsum cognoscas. Instituta est, vt ego quidem accepi, præcipua quadam cura à Sacerdote è Societate IESV, singularis exempli, eximiæ doctrinæ, spectatæ fidei, puræ, integræq; vitæ viro, qui, præterquamquòd accuratissimè in eam curam incumbebat, vt illius animũ Christianis virtutibus excoleret, illud etiam ardentissimis votis, & precibus à Deo Opt. Max. petebat, vt hoc illi daret, vt ne minimas quidem tenebras suæ claritati offundens, natiuum illius generis splendorem longè lateq; se diffundentem, dotemq; illam pulcherrimam terrestrium regnorum sublimitatem longè superantem, ac gentis Austriacæ maximè propriam non conseruaret modo, verum etiam, quo ad eius fieri posset, augeret. Instituta est, credo, ab Angelo Custode diuinitus ipsi oblato, qui diuino lumine collustrabat illius mentem, ardentissimo igne succendebat voluntatem, & immensas, atq; inexplicabiles

cœlestis

cœlestis regni diuitias ei ob oculos ponens, ipsam ad patriæ illius permanentis, & in omnem æternitatem durantis contemplationem erigebat, quiq; omnes illius vias circumspiciens, eam vbiq; locorum tuebatur, custodiebat, atq; incolumem seruabat. An verò censetis, Viri Pontremulenses, Margaritam tàm benè, tàm piè, tàmq; religiosè institutam humanæ fragilitatis obliuisci, sibiq; tantummodo confidere? nil minus. Hæc enim cum secum cogitaret, non modicam imbecillitatem à communi omniũ hominum parente iure quodam hæreditario ad nos fuisse transmissam, proptereaq; timeret, ne à recta virtutum via in vitiorum auia abriperetur, vni Deo confidens, & in ipso omnes suas spes constitutas habens, eo Duce ad omnia in omni sua vita sibi vtendum censuit, & humanam imbecillitatem firmissimo diuinæ virtutis robore corroborandam. Quare nihil vnquam auspicabatur, nihil agebat, nihil etiam cogitabat, quin ad præpotentis Dei pręsidium confugeret; & sanè, cùm tempus, quod in oratione collocatur, optimè impensum esse probè cognosceret, vt in Germania, ita in Hispania statis diei temporibus illud suum ornatissimum sacellum adibat, ibiq; ante imaginem Christi è cruce pendentis genibus prouoluta feruentissimas preces pro se, pro suo Rege, eiusq; regnis, atq; etiam pro vniuerso genere hominum fundebat, sæpè & lacrymas effundebat. Dum verò in hac quasi vigilia precationum versabatur, si quando, vt vsu venire solet, fiebat, vt animi vires in varias curas, & negotia dissiparentur, ipsa tanquam receptui canens, illas conuocabat, & omnia facta, dicta, & cogitata, haud secus, ac si Deus ipse præsens adfuisset, cui omnium rationem fuisset redditura, memoria, ac mente recolebat, ad Christi passionem confugiebat, & diu multũq; cœlestem contemplata patriam,

vbi est sanitas sine ægritudine, pulchritudo sine labe, opes sine inopia, securitas sine curis, lætitia sine mœrore, voluptas sine dolore, iocunditas sine acerbitate, saturitas sine fastidio, & cumulatissimus bonorum omniũ sine vlla mali admistione cumulus, Dei ipsius maiestatem, quanta maxima poterat, animi summissione, & humilitate deprecabatur, vt in hoc terrarum orbe, immo verò inexplicabili errorum labyrintho suos gressus dirigeret, vt tandem aliquando in hoc sublimi mortalium regnorum fastigio mortalitatem exuens, in illa cęlestiũ, & immortalium regnorum sublimitate immortalitatem indueret, ipsiusq; perfruens præsentia vniuersos beante, æterna, & omnibus numeris absoluta beatitudine frueretur. Talis, tantusq; erat, Viri Pontremulenses, Margaritæ religionis ardor, vt non solum ex aspectu rerum, vel pretio, vel dignitate maximarum, verum etiam ex intuitu cuiuslibet rei, vel minimæ in Dei huius mundi procreatoris, omniumq; parentis cogitationem, amoremq; raperetur, eiusq; potentiam, sapientiam, & bonitatem agnoscens, ardentiori in dies ei seruiendi desiderio incenderetur. Quid plura? Hæc ipsa in eo dignitatis fastigio constituta, quo nullum pęne maius in terris excogitari potest, cum illud sciret, seruire Deo esse verè regnare; sæpe numero ad illas sacras Ædes veniebat, vbi ea præcipiuntur, quibus ætas puerilis ad Christianam religionem informari solet, ibiq; (o magnum pietatis christianæ argumentum) inter puellas considens, ei magisterio non interfuit solum, verum etiam præfuit, atq; ita præfuit, vt non tàm Regina, quàm Christianæ vitæ magistra, & non magis cum Philippo, quàm cum Christo regnare diceretur. Age vero præstantissimæ illius religionis testes laudare possem celeberrimas Italiæ ciuitates, Genuam, Fer-

rariam,

rariam, Mantuam, Cremonam, totiusq; Insubriæ caput Mediolanum, quibus in vrbibus, regijs apparatibus, rebusq; cæteris profanis quamuis memorabilibus contemptis, illud studuit, vt sacrarum Virginum Cœnobia viseret, sacratissimasq; reliquias videret, ac summa pietate venerateretur, atq; religiosissimum quodq; Templum sæpe etiam pedes adiret; multisq; exemplo fuit, & incitamento, vt ad bonam frugem redirent, ijsdemq;, quibus illa, vestigijs insisterent: verum quia nimis longum, immo infinitum esset, quot quantasq; religionis Christianæ significationes in singulis vrbibus dederit, dicendo commemorare, vnum nominabo testem, qui multorum millium instar esse & potest, & debet, Clementem VIII. Pontificem Opt.Max., qui tum Ferrariæ commorans, posteaquàm Philippum III. & Margaritam sanctissimo connubij vinculo coniunxit, hancq; illi propriam (vtinam perpetuam potuisset) dicauit, hæc dixisse fertur. O qualem quantamq; sibi Rex Catholicus optauit coniugem! O quàm benè bone Deus Margaritam Philippo reseruasti! O præclarissimum, idemq; certissimum Margaritæ religionis testimonium! O veram, vereq; diuinam laudem, quæ à tanto, tamq; laudato Pontifice profecta, nulla vnquam obliuione conteretur! O Margaritam ter, & amplius fęlicem, quæ talem tantumq; istius tuæ tam præstantis dotis præconem, atq; adeo prædicatorem inuenisti! Significauit quidem hisce verbis prudentissimus ille Pontifex, & Christi Vicarius, maximam esse Margaritæ religionem, hancq; diuino potius, quàm humano iudicio à Catholico Rege fuisse delectam, ipsumq; Deum ius suũ vnicuiq; tribuentem voluisse, vt Margarita, quippe quæ esset religione maxime conspicua, vni Philippo Regi omnium religiosissimo debita, eidem sanctissimo matrimo-

nij fœdere iungeretur, itàq; non in alienam, ſed in ſui gentilis familiam nuberet: Vidit, vidit, inquam Summus, optimusq; Chriſtiani gregis Paſtor, illam ſanctiſſimis, & neminem vnquam errare patientibus Chriſtianæ religionis præceptis ità eſſe conformatam, vt licèt hic inter mortales moraretur: non tamen ex aliquo mortali nata, ſed à Deo immortali ad omnem religionis excellentiam ficta, & facta eſſe videretur. Neq; vero hoc vobis mirum aut eſſe, aut videri debet, Viri Pontremulenſes, cùm, vt audiuiſtis, religio ſit dos perpetua, hoc eſt, propria gentis Auſtriacæ, quæ quidem innumerabiles habuit tum viros, tum etiam mulieres morum integritate, & vitæ ſanctitate præſtantes, ſed præcæteris Leopaldum illum Auſtriæ Ducem ſuæ vitæ ſanctimonia, ritu Romano, ſolennibusq; cęrimonijs ab Innocentio VIIII. Pontifice optimo Maximo in numerum Sanctorum adſcriptũ, & Magdalenam Imperatoris Ferdinandi filiam, cuius religionem, vitæq; ſanctitatem non Germania ſolum, verum etiam exteræ nationes, atq; adeo totus terrarum orbis maxime celebrauit. Hos ſibi ad imitandum propoſuit: hos imitabatur: horum ſanctitatem non ſequi modo, verum etiam aſſequi ſtudebat. Quis autem ſatis admirari queat, nedum pro dignitate laudare honorem, quem maximum habuit ſanctis, precipueq; ſanctiſſimæ ſemper Virgini Mariæ, quam in omni ſuæ vitæ curriculo ita coluit, vt in ea omnes ſuas ſpes collocaret, eiq; tantam, ad quam euecta fuerat, maieſtatem acceptam referret? Quotus quiſque eſt, qui ſuæ linguæ penicillo illam reuerentiam exprimare poſſit, qua horarias precationes in beatiſſimæ Virginis honorem recitabat? Quodnam tantum eſt flumen ingenij, quæ dicendi, aut ſcribendi tanta vis, tantaq; copia, quæ, non dicam, omni, ſed ne minima quidem ex parte

inexpli-

inexplicabile illud ſtudium explicare valeat, quo ipſa iuſtum illum ſacrorum calculorum ordinem ſequens egregias illas preces (Coronam appellant: at quam Coronam? eam, quæ Coronis regijs, regniſq; omnibus anteponenda eſt) mente minime vaganti, recitabat?. Nemo hominũ, licet omnes, qui ſunt quiq; fuerunt, Oratores eloquentiæ gloria longè antecelleret, ſua eloquentia, & immenſis orationis diuitijs ſummam explicare poſſet pietatem, qua inſignes illas orationes (Roſarium dicitur, Roſarium inquam, cuius roſas ſemper ſuaue olentes, perpetuoq; duraturas ordo ille Dominicanus totius Chriſtianæ Reipublicæ ſplendor, diligentiſſimusq; Eccleſiæ puritatis conſeruator fidelibus abunde diſtribuit, cuiusq; fragrantiſſimus odor omnes cœlos traſcendens ad ſupremum illum thronum aſcendit) dicere ſolebat, non prius orandi finem faciens, quàm à primo calculo ad vltimum peruenisset? Cùm autem hæc Regina noſtra faciebat (faciebat enim quotidie) putatis ne illam mente fuiſſe in varias curas diſtractam? num cenſetis ore tantum oraſſe? Illa quidem in his ſuis orationibus ita ſemper eſt verſata, vt omnes ſuæ mentis vires collectas, & in eo, quod agebat, defixas haberet, ſanctiſſimamq; Dei ipſius Matrem non voce ſolum, verum etiam mente veneraretur. Nam, vt mihi quidem perſuadeo, cum illas centum & ſexaginta quinq; orationes, quaſi roſas ſacris calculis aptas inter ſe, & conſertas Sanctiſſimæ Virgini offerebat, quindecim Chriſti, eiusq; Matris myſteria in ſingulis ſuæ mentis aciem defigens attentiſſimo animo contemplabatur: cum verò tribus illis, & ſexaginta calculis minoribus precatorijs eandem Virginem colebat, eo ſuæ mentis vim dirigebat, vt in primo denario calculorum ordinẽ Virginis MARIÆ Conceptionem, in ſecundo Natiuita-

tem,

tem, in tertio Præſentationem, in quarto Annunciationem, in quinto Viſitationem, in ſexto Purificationem, in ternario verò numero Aſſumptionem attentiſſimè contemplaretur. Dum autem horarias preces dicebat, erat mente ita in Cœlum elata, vt, licèt ab eo quam longiſſimè corpore abeſſet, illud tamen mente, atq; animo poſſideret, ibiq; tanquam in ſuo regno eſſet. Quid verò ſuis illis quotidianis precibus illam putatis petijſſe? num maiorem regnorum numerum? num ipſorum regnorum amplificationem? num vitæ diuturnitatem, valetudinisq; conſeruationem? Petebat, vt arbitror, Margarita tota mente in contemplatione defixa, omnia Spiritus ſancti dona, virtutum omnium augumentum, fidei ſanctæ, atq; religionis Chriſtianæ propagationem, nominisq; Catholici, quod quidem pluris quàm ſua regna omnia faciebat, in ſua proſapia conſeruationem. Verum, vt ad alia pergam, quis immenſam caritatem, cuius quaſi gradibus mortales in cœlum adſcendunt, & hic viuentes quàm proximè ad Deum immortalem accedunt, cuius quidem ardenti ſtudio inflammata, illum ſuum fulgorem, & vim longè, lateq; explicauit, ſua oratione complectatur? Quis eximiam illam & illuſtrem beneuolentiam, qua ſuum Regem, quem ſuis oculis cariorem habebat, qua propinquos omnes, quos in oculis ferebat, qua deniq; proſequebatur genus humanum, pro quo crebras preces Deo fundebat, dicendo illuſtrare ſe poſſe confidat? Manſuetudo autem illius, & comitas tanta fuit, vt cùm ab omni faſtu, imperioſisq; moribus vehementer abhorreret, nullum in ea cerneres contumaciæ veſtigium, ſed eam videres (id quod difficillimum eſt) comitatem ita cum grauitate iungentem, vt neq; comitas de grauitate, & illa regia maieſtate, neq; grauitas, & illa regia maieſtas quid-

quam

quam de comitate detraheret. Quantam verò in hac nō iam terrestri, sed cœlesti Regina clementiam, patientiamq́; putatis fuisse? Harum quidem virtutum non obscuram significationem Cremonæ præbuit, cum exorto inter eos, qui ipsam officij gratia prosequebantur, tumultu, telis correptis, parum abfuit, quin illi vita eriperetur, & erepta quidem fuisset, nisi Dei præpotentis manus eam à telis sarctam, tectamq́; seruauisset. Quid verò tum illam fecisse existimatis? o egregium facinus! o clementiam admirabilem, omnium prædicatione, litteris, monumentisq́; decorandam! licèt enim nobilitas Cremonensis, atq; adeo tota Ciuitas maximè instaret, vt sontes ad supplicium raperentur, atq; ita eximerentur è Cremonensium numero: illa tamen diuino præsidio tecta, & protecta maluit illius facinoris, & tumultus auctoribus ignoscere Dei benignitatem sequendo, quam ab ijsdem pœnas repetere iniurias persequendo. Iam si eius munificentiam, & tenuium afflictorumq́; hominum misericordiam persequi velimus, nullum neq; finem, neq; modum nostra inueniet oratio. Quis enim enumeret Monachorum, & sacrarum Virginum cœnobia, quibus illa, quæcunq; ad victum, vestitumq́; pertinebant, largè, copioseq; suppeditabat? Quis percenseat Xenodochia, Ptochodochia, Nosocomia, Gerontocomia, Brephotrophia, & Orphanotrophia, quorum inopiam suis opibus subleuabat? Quis commemoret, quàm multas Virgines, quæ ad summam inopiam, periculumq́; dedecoris adductæ erant, honestissimè collocarit? Quis recenseat quam multas iam propè cadentes, & propter egestatem omnem castimoniam exuentes suis copijs, opibusq́; sustentarit, & ex imminentibus turpitudinis, & infamiæ periculis largitate liberarit? Quis eorum, qui stipem corrogare solent

vacuis,

vacuis, vt aiunt, manibus ab ea vnquam discessit? Quis vnquam ex ijs, qui miserrima fortuna affliguntur, cum ad eam confugit, eius misericordiam desiderauit? Cuius inopia, & tenuitas eius opibus, & copijs non fuit subleuata? Missam facio fortitudinem, quæ, tametsi illa armata non stetit in campo, vt de Margarita Henrici VI. Britaniæ Regis coniuge, alijsq; permultis historiæ narrant: tamen modo quodam digniori, magisq; præcipuo in ipsa enituit, cùm nimias appetitiones, Mundum, Carnem, Dæmonem hostes ad necem meliori nostri parti inferendam oppido quàm paratos, multoq; sæuiores, potentioresq;, quàm qui in acie vincuntur, profligauerit. Mitto excelsam & verè Austriacam animi magnitudinem, qua, cùm in Hispaniam transmitteret, sæuissimam illam tempestatem ita tulit, vt cum cæteri vi tempestatis perterriti animi fluctuarent, sibiq; extrema timentes præsentem mortem sibi impendere censerent; ipsa tamen excelsi illius atq; inuicti animi præsentiam, mentisq; tranquillitatem in tanta vectorum omnium fluctuatione, & formidine retinuerit. Prætermitto oris custodiam, qua nullum vnquam verbum ex illius ore excidit, vnde cuiusquam animus posset offendi, nulla vox prodijt, quæ aut ad omnipotentis Dei laudem, aut ad proximi emendationem non pertineret. Sileo insignem eius prudentiam, qua facillime quæ sibi expetenda, quæq; fugienda erant, cognoscebat; singularem iustitiam, qua nemini iniuriam fieri patiebatur; eximiam temperantiam, qua animi commotiones moderabatur; excellentem continentiam, qua voluptatum illecebras & quasi titillationes repellebat: summam pudicitiam, cui ne minimam quidem labem, vel cogitatione vnquam adspersit, & rerum caducarum despicientiam, infinitaq; alia, quæ commemorare infini-

tum

cum esset, quæ nisi maióra omni laude, omniumq; qui fuerunt, qui sunt, quiq; erunt, Oratorum eloquentia esse confiterer, non immerito sane vobis parum sanus, immo verò valde insanus haberer. Hoc tamen de hac ipsa Regina affirmare, atq; etiam confirmare ausim, omnes virtutes sibi illius pectus, atq; animum quasi gratissimum aliquod domicilium, templumq; delegisse, vt iure optimo meritoq;, quemadmodum margarita Græcis à nitore dicitur, ita illa prælustri virtutum omnium splendore enituisse dicatur. Hanc ipsam tot tantisq; virtutibus coruscantem Potentissimus ille Philippus III. acerrimus Catholicæ fidei propugnator, quo vno nititur Christianæ Reipublicæ incolumitas, Christo & Duce & auspice, vxorem duxit, quæ antequam cum Rege ipso esset, Christiano ritu confessione expiata cum Christo esse, eiusq; sacrosanctum corpus accipere voluit: summa vtriusq; semper fuit concordia, summa voluntatum consensio, summa animorum coniunctio, & vt Poëta ille ait:

Velle ac nolle ambobus idem sociataq; læto
Mens aeuo.

cum ecce illa non multo post, quam Principem quartum peperit, acutissimis doloribus correpta in febrim incidit, quæ suis progressionibus eam ita excruciabat, vt omnes, quicunq; aderant, lacrymas præ dolore continere non possent. Instabant nihilo secius Medici, & ne nihil agere viderentur, eam officiosissime vexabant: tantum enim aberat, vt tantam doloris vim ijs, quæ adhibebant, remedijs leuarent, vt etiam, hoc non agentes, non mediocriter augerent. Quid verò Reginam in tantis doloribus fecisse arbitramini? O admirabilem animi altitudinem! o animum verè regium! o factum Christianis omnibus imitandum! Illa huiusmodi dolores ita tulit, vt nullam

tristitiam, nullam frontis aut supercilij contractionem, nullam animi demissionem ostenderet, sed summam patientiam, summam constantiam, summam animi & altitudinem, & æqualitatem præseferret, vt quispiam non immerito dicere posset mortem omnibus alijs, hac vna excepta, indictam esse. Plura ne illius patientiæ, & constantiæ, animiq; cũ æqualitatis tum altitudinis argumenta, cum ijs doloribus adficiebatur, requiritis? Audite, & ad ea, quæ iam iam sum dicturus, animum mentemq; aduertite. In Reginæ thalamo quicunq; aderant, acerbissimo dolore contabescentes, in luctu & mœrore versabantur, sed ex ijs omnibus maximè Rex Catholicus, qui pulcherrimæ coniugis lecto assidens, gemitibus & lacrymis temperare non poterat, quippe cuius in pectore cum diù, multumq; animi magnitudo, & doloris acerbitas quasi singulari certamine conflixissent, victa animi magnitudine, doloris acerbitas superior extiterat. Regem diceres suæ illius admirandæ maiestatis ita oblitum esse, vt ne speciem quidem & vmbram illius retineret. At Regina licèt morbum magis, magisq; ingrauescentem sentiret in omne corpus diffundi, omnia membra, omnes artus carpere, atq; etiam per ossa illabi in medullas: tamen ipsa se sui simillimam præbens semper excelsi atq; inuicti animi præsentiam, & æqualitatem semper constantiã; & patientiam retinuit: tantum abest, vt quidquam de illatum magnitudine virtutum, morbo latius grassante, & omne corpus occupante remiserit: quinimmo cùm Regis potiùs, quàm suo ipsius dolore moueretur, conuerso ad ipsum cùm vultu, tùm sermone, hæc dixit: O Rex, quem Christianæ virtutes, & tot tua in Christianam Rempub. merita extollunt magis, quàm tam multa, tamq; ampla regna, quæ possides, affici te & dolere, cũ me ita affectam con-

contemplatis, minime id quidem mirandum. Officium enim humanum est, humanis casibus ingemiscere, & tuum præsertim doloribus illius, quam istius tuæ immensæ amplitudinis consortem, & sociam fieri voluisti. Verum, cum huius vitæ, quam præpotens ille Deus vsu & fructu tantum non etiam mancipio nostram fecit, cursus tam breuis sit, & velox, vt vel naui velis remisq; mare infestum prætervolanti, vel torrenti, qui turbidis aquis tantummodo tumens mox siccatur, vel etiam puncto temporis, si ratio æternitatis illius habeatur, iure optimo comparetur, non est, quod tantopere doleas, teq; ipse tot gemitibus, & lacrymis excrucies, nec si quid mihi humanitus accidet, erit, cùm illud certo scias portum aliquando petendum, nunquam verò recusandum, & turbidas, tamq; cito exarescentes huius mundi aquas liquidis illis & perennibus, & deniq; hoc temporis punctum æternitate illa mutandum esse. At homines sumus, inquies, sat scio; sed meminisse debemus nos ea lege natos, vt hunc spiritum, hanc animam Creatori nostro, cum ipsi videbitur, reddamus, & vt rebus secundis efferri non licet, ita nefas esse rebus aduersis deprimi. Quod ego te per tuam maiestatem, cui benignissimus Deus nouos orbes procreauit, oro, atq; obsecro, vt vires animi tui reuocans, ipsius animi curam, & angorem leues, gemitusq; & lacrymas reprimens, ijs affectibus, quibus nihil à cæteris animantibus differimus, ratione victrice, qua parte nostri homines sumus, modereris. Quod quidem facillimè præstare poteris, immo etiam reapse præstabis, si tui istius fortissimi animi penetralia, vnde vt hæc dolendi materia venit, ita complura solatij argumenta poteris eruere, discuties, si excelsam animi tui altitudinem præ te ferens omnia, quæcunq; accident forti animo feres; si

 siq;

ſiq; voluntatem tuam deſerens, atq; adeo vincens, te totum ad illius, qui omnia poteſt, voluntatem conformabis. Atq; Reginam hæc dicentem, & alia parantem dicere, non illa quidem vis animi excelſi, ſed vox defecit; & cum illi per morbum alloqui Regem non liceret: ipsũ tamen tam acriter intuebatur, vt quando lingua non poterat, vultu, atq; oculis loqui quodammodo videretur. Sed quæ ſunt conſecuta mecum, quæſo, cognoſcite Regina, quæ cœli & omnium fidelium Reginam in ore ſæpiſſime, & in mente ſemper habuit, poteſtatem loquendi vi morbi amiſſam exaudito MARIÆ nomine recuperauit, Salutationem Angelicam mira quadam reuerentia, omnibus exaudientibus, recitauit, de peccatis confeſſa, ſacroſanctum Viaticum Chriſtiano inſtituto, & conſuetudine popoſcit, quod cum attuliſſet Sacerdos, magno illa animo, & conſtanti in Deum fide, Rege & multis alijs grauiſſimis Viris, qui aderant, lacrymas non tenentibus, non minus vtiliter, quàm religiosè illud accepit, ſeſq; deinde cùm ſenſibus adhuc integris eſſet, perunctioni illi ſummæ, & (vt aiunt) demigrantis animæ commendationi tradidit. Aliquanto autem poſt, cùm arteriarum percuſſus, &, vt planius loquar, pulſus aliquam ſpem afferret, fore vt illa ex morbo conualeſceret, non facile dixerim, quanta lætitia, quanta voluptate, quanta iocunditate perfuſus ſit animus Regis vxorem ſibi chariſſimam ſępè inuiſentis, & ſua præſentia recreantis: ſed (heu volucres, & nimio breuiores hominum conſolationes) lætitia mœrore, voluptas dolore, iocunditas acerbitate mutata eſt. Etenim paruo tempore interiecto, ſenſibus magis, magisq; obſtupeſcentibus, toto corpore hebeſcente, concidente voce, Regina ipſa anhelans quidem, ſed tamen ſigillum Chriſti è Cruce pendentis intuens, & identidem

oſcu-

osculans, IESVMq; , & MARIAM inter mortuis vocibus appellans, extremum spiritū efflauit, itáq; mortua iacuit. O mortem! o sortem! o palmares, vt inquit ille, & per exiguo tempore durantes mortalium dies! O quàm vero Attius

Fors dominatur, neq; vita vlli est propria in vita!

occidit florente ætate Regina illa, quæ, cùm esset vtriusq; Hispaniæ, immo totius Orbis terrarum splendor, etiam si mille annos & eo amplius vixisset; tamen illius obitus præproperus, & nimis celer fuisset. Mortua est illa, quę, cùm esset omnium columen virtutum, nunquam mori debuisset. Immaturo funere elata, & ex hoc orbe maximo omnium nostrum malo sublata est illa, quæ, cùm esset ad humanitatem nata, nullo vnquam tempore interire debere videbatur! O rem luctuosam, & acerbam! O naufragia huius infęlicis vitæ nimis repentina! O iacturam in omni memoria deplorandam! o immaturum obitum! o raptum inquam præproperum! o casum vix, ac ne vix quidem ferendum! Orbis terrarum splendorem occidisse? concidisse omnium virtutum columen? tantam interijsse humanitatem? o terrarum orbis quid facies sine tuo splendore? o virtutes vbi est vestrum columen? o mortales omnes vbi est illa, quæ vos iacentes excitabat, humanitas immortalis? Doloris æstus, quem ex hac, quam fecimus, iactura capio, eo me prouexit, Viri Pontremulenses, vt ego quid dicerem, minus attenderim. Enimuero mortua non est Regina nostra, sed viuit, atq; ita viuit, vt nihil iuris, nihil imperij in eam mors amplius habeat. Non occidit terrarum orbis splendor, sed ita effulget, vt nullis tenebris obscurari, nullis nebulis circumfundi possit. Non corruit columen illud virtutum, sed tam altis stat nixum fundamentis, vt nullis temporū

iniurijs,

iniurijs, nullis fulminibus, nulla deniq; vi queat prosterni. Viget, viget illa humanitas, quæ perpetuum assecuta locum, perpetuo poterit afflictos homines sublevare. Quòd si quis eam mortuam esse contendat, per me illud quidem faciat, licebit: sed tamen ille hoc mihi negare non poterit, immo velit, nolit, confiteatur necessario oportebit, mortem illi vitam pepetisse immortalem, & ipsam, vt in cœtu immortalium viueret, in numero mortalium viuere desijsse. Et quidem, cùm mors sit iter ad vitam ijs, qui in domino moriuntur, & finis ærumnarum præsentis vitæ, quæ potius omnium calamitatum officina appellari debet, contraq; progressio certa ad mortem ijs, qui se voluptatibus dediderunt, cùm Regina nostra in gremio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ alta, & educata, voluptatibus huiusmodi à se amandatis, Deum religiosissime, quemadmodum Austriaci omnes semper facere consueuerunt, coluerit, maximum honorem Sanctis, & præsertim Sanctissimæ semper Virgini habuerit, proximum summa charitate sit complexa, animum habuerit omnibus virtutibus excultum, rectum vitæ cursum tenuerit, laudabiliter huius vitæ munere functa sit & defuncta; & vno vt verbo dicam Austriacè hoc est piè, & christianè semper vixerit, & in domino sit mortua, dubium esse non potest, quin ex hac mortali vita ad illam immortalem vocata sit, illiusq; anima, relicto hoc mortali corpore, quod est imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusus, inconstantiæ imago, miseriæ, atq; calamitatis trutina, & deniq; paruus puluis concretus, nacta liberum cœlum, ex hoc terrestri diuersorio ad cœleste illud domicilium triumphans euolauerit. Ex illis verò beatis sedibus, cùm vestrum luctum aspiciat, vestras videat lacrymas, audiat vestros gemitus, eam mihi audire

videor,

videor, vos ipſos his verbis compellantem. Noui ego, Pontremulenſes, veſtrum animum, noui voluntatem, noui fidelitatem, vos ſcio omnia fidelitatis officia veſtro Regi præſtitiſſe, ob eamq; rem non ſumptui, non labori, non vitæ ipſi pepercíſſe. Quæ modo pro me Deo immortali obtuliſtis, mihi grata ſunt & accepta. Sed quorſum tot lacrymæ? Quorſum tot gemitus, & eiulationes? Quorſum tot doloris demonſtrationes? Cùm enim hominum vitam periculoſam, vel nauigationem, vel peregrinationem, vel militiam eſſe adfirment ſapientes; quid mihi iſtud immenſum pelagus emenſæ optatius accidere potuit; quàm poſt tot procellas, & tempeſtates per mortem inuehi in portum Chriſti tranquilliſſimum? Quid iocundius euenire, quàm, hac peregrinatione confecta, non diuerſorium aliquod, vnde breui mihi ſit demigrandum, ſed certiſſimum, tutiſſimumq; domicilium incolere, vbi ſummo bono potita perpetuo ſim permanſura? Quid denique glorioſius contingere, quàm me poſt tot conflictus, & contentiones victoriam conſequi, triumphum agere, & albis benefactorum equis vectam non in capitolium, ſed in cœlum adſcendere? Hîc nullas tempeſtates, nullas ærumnas, nullas timeo dimicationes, ſed vitam dego omnis difficultatis, omnis negotij, omnis moleſtiæ expertem, quam neq; vigiliæ, neque morbi, neq; ſenectus labefactare poterit. Hîc regnis non labentibus, & fluxis, ſed permanentibus, & æternis potita æuo fruor ſempiterno, & bonis omnibus in omnem durantibus æternitatem circumfluo. Hîc vera, ſolida, atq; omnibus numeris abſoluta beatitudine perfruens, perpetuoq; victura omnes populos Hiſpanienſi imperio ſubiectos omni ope tuebor, cùmq; videam vobis opus eſſe Paſtorem, qui Pontremuli reſidens, Populo Pontremulenſi

lensi præsideat, ipsumq; regens ad æternæ salutis portum dirigat, Deum Opt. Max. enixè deprecabor, vt eum vobis Pastorem concedat, qui vestræ saluti studens, illud curet, & studeat, vt Dei cultum & honorem augeat, atq; promoueat, & tot animas ab æterno exitio, & à faucibus Orci eripiat, & deniq; potestatem, & modestiam miscens, non magis magnus, quàm bonus audire, hoc est appellari cupiat, vobisq; non sua, sed vestra caussa præsit. Illud vnum modo reliquum est, Viri Pontremulenses, vt quam viuentem tantopere suspeximus, & mortuam tam devotis animis veneramur, eam nobis propter eximias illius virtutes ad imitandum proponamus, eamq; animo intuentes imitemur, atq; ipsius vitam, & mores non sequi tantum, sed consequi etiam studeamus. Te verò clementissime IESV, qui maximo omnium nostrum bono, id nobis dedisti vt sub felicissimo Catholicorum Hispaniæ Regum imperio simus, summis votis, & tanta quanta possumus maxima humilitate deprecamur, vt quando talem tantamq; Reginam nobis ereptam voluisti, nobis ipsis Philippum III. Regem nostrum, & quos ex illa sustulit liberos pro tua benignitate conserues, illudq; concedas, vt, si minus nostris possumus, ac certe Reginæ nostræ meritis Pastorem tantopere à nobis petitum, & expetitum impetremus, vt sanctissimis illius præceptis instituti eam vitam in hac vita degamus, vt post eam, ad veram vitam vocemur, itáq; veri cœlestis illius Hierusalem & ciues, & hæredes esse possimus.

D I X I.

IO: IACOBI NOVELLI
Pontremulensis, Anagrammatismus.

MARGARITA AVSTRIACA.

MICAT SVA GRATIA RARA.

DVM micat Austriacum sidus vincuntur in astro
Augusto celsi sidera clara Poli.
Nec mirum: ante alias vixit pulcherrima terris
Regina. hinc Cælo GRATIA RARA SVA *est.*